



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 2. Sigilli Obligatio quanta sit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

§. I.

Qualis sit Obligatio Sigilli ?

186. Sigillum Confessionis obligat ex duplici præcepto, Justitiæ nimirum & Religionis. Unde frangens Sigillum ordinariè committit duo peccata specie distincta, quorum unum est contra Justitiam, & obligat ad compensationem damni, si quod inde est alicui illatum. Alterum est contra virtutem Religionis, quia ad ejus materiam observatio Sigilli refertur per præceptum Ecclesiasticum & Divinum, ut constat ex *num. preced.*

Dixi *ordinariè*, quia juxta aliquos vel omnino non, vel non graviter peccatur contra Justitiam revelando 1. id, quod extra confessionem non posset obligare ad secretum, ut sunt damnosa Reipublicæ &c. Vasq. apud Lugo *Disp. 23. n. 16.* vel 2. id, quod quis confessus est Sacerdoti invito, & nolenti audire, ut indicat Lugo *l.c. n. 44.* vel 3. quod pœnitenti non est ullo modo damnosum, sed valde utile, ut reveletur, v.g. venefico, cui Judex vitam donare paratus est, si Confessarius testetur, eum cum dolore confessum esse suum veneficium. vel 4. id, quod jam antè est omnibus publicè notum, & maximè si simul etiam sit iis æquè certum. Dicast. *cit. Disp. 12. n. 102. & 105.* vel 5. cum ipso tantùm pœnitente extra confessionem de ejus peccatis agendo.

Quòd autem nihilominus in prædictis casibus juxta communem certò, & in secundo saltè probabiliter per revelationem sine licentia pœnitentis factam, adhuc graviter peccetur contra virtutem Religionis, est hæc Ratio, quia Sigil-

lum, ejusque obligatio est introducta proximè quidem & immediatè in favorem pœnitentis, primariò tamen & principaliter in honorem & reverentiam Sacramenti. Fagund. *Prac. 2. lib. 6. cap. 1. n. 17. & 21.* ergo revelatio in allatis casibus et si sit vel omnino non, vel saltè non graviter injuriosa pœnitenti, est tamen adhuc graviter injuriosa Sacramento; nisi enim fiat cum licentia pœnitentis, semper reddit Sacramentum odiosum, & fidelibus noxium atque horribile.

187. Unde obiter, sed tamen clarè deducitur, quòd nihilominus pœnitens, si sponte suâ velit, liberè possit Confessario licentiam dare, confessæ peccata revelandi, juxta communiorem S. Thomæ & aliorum apud Dian. *p. 5. rr. 11. Res. 10. & Laym. cit. cap. 14. n. 14.* contra multos, & graves DD. alios apud Fagund. *l.c. n. 16.* Ratio, quia per revelationem cum licentia pœnitentis factam non redditur Sacramentum aliis odiosum aut horribile, ergo etiã nihil per eam derogatur honori Sacramenti, bono publico Ecclesiæ, Jurinaturali, aut divino; ergo pœnitens, si velit, potest licentiam dare. Et in hoc est dispar ratio cum Clerico. Nam iste per suam licentiam & consensum facere non potest, ut læsio, quam ipsi contra Jus aut privilegium clericale alii inferunt, non sit adhuc ordini & statui clericali probrosa, & injuriosa. Coninch. *cit. Disp. 9. n. 22.* Reginald. *l. 3. n. 56.* Dicast. *l.c. n. 73.*

§. II.

Sigilli obligatio quanta sit ?

188. Fractio Sigilli quoad malitiam contra Justitiam potest esse peccatum veniale

niale vel mortale; prout leviter vel graviter læditur Jus proximi; quoad malitiam contra Religionem, si deliberatè fiat, & inadvertentia non excuset, semper est mortale; neque datur in eo paritas materiæ. Reginald. *lib. 6. n. 4.* Bonnac. *tom. 1. Diss. 5. q. 6. sect. 5. p. 1. n. 4.* Lug. *Diss. 23. n. 70.* Dicast. *cit. Diss. 12. à n. 19.* quia quælibet fractio Sigilli, etiam per revelationem minimi alicujus peccati venialis in specie, cum reddat Sacramentum Pœnitentiæ odiosum, ab eoque homines absterreat, cedit in gravissimam ejus irreverentiam. Coninch. *Diss. 9. n. 24.* Debet tamen nihilominus fracti Sigilli reus in confessione dicere, an id in re levi, vel gravi, cum, vel sine damno proximi fregerit, ut constet, an & quomodo etiam contra Justitiam peccaverit. Lugo *cit. Diss. 23. n. 18.* vide etiam Tamb. *de Confess. lib. 5. cap. 9.*

189. Sigillum obligat indispensabiliter, ita ut in ejus obligatione non tantum nullus inferior Prælatus, sed ne quidem ipse summus Pontifex possit unquam dispensare. Reginald. *lib. 3. n. 11.* Fagund. *cit. cap. 1. n. 11.* Ratio, quia, si posset in Sigillo dispensari, hoc ipso homines jam abhorrent à Sacramento Pœnitentiæ, & integra confessione; nescirent enim, an non Confessarius jam habeat, vel postea adhuc impetraturus sit potestatem, revelandi peccata confessi; ergo ob quam causam Confessariis est Jure divino (sive jam naturali, sive positivo) imposita obligatio Sigilli, ob eandem etiam, eodèmq; Jure Prælatis Ecclesiæ, & ipsi quoque Pontifici negari debuit, & negata est potestas in ea dispensandi.

190. Sigillum Confessionis ita strictè & universaliter obligat, ut in nullo casu, qui mente fingi potest, adeoque nec pro tuenda fide totius orbis, aut vita Pape vel Regis, vel pro conservando toto orbe, eoque ab injusta conflagratione liberando infringi possit aut revelari, invito pœnitente, & absque ejus licentia; etiamsi universa quoque Ecclesia, & Fides tota Christiana per impossibile peritura esset; debentque Confessarii atrocissima quæque supplicia, & ipsam mortem potius subire, quam ullo dicto vel facto Sigillum etiam in re minima violare. Ita loquitur Fagund. *cit. cap. 1. n. 5. 7. & 8.* qui in sua illa hypothese impossibili debet Fidem & Ecclesiam Christianam non totaliter, sed partialiter tantum sumere, adeoque non prout in ea ipsa etiam Sacramentum Pœnitentiæ cum suis obligationibus continetur, sed prout istud ab ea separatim ponitur & contradistinctum; quia alioquin hypothesis non servaret constantiam subjecti, essetque nugatoria. Ejusdem mentis & sententiæ sunt etiam DD. alii unanimiter; ex quibus de Secreto quoque Medio ita sentiunt illi, qui id à Sigillo & Secreto naturali distinctum esse volunt, de quo *sup. n. 183.* ut testatur Tann. *cit. Diss. 6. q. 9. n. 134.* Coninch *cit. Diss. 9. n. 50.*

Ratio est, quia obligatio Sigilli debet esse tanta, ut Sacramentum ex metu revelationis non reddatur odiosum, nec fideles ab eo propterea merito possint abhorre, & absterreri, ut *sup.* ostendi ex fine & intentione Christi Sacramentum Pœnitentiæ instituentis; atqui obligatio Sigilli non esset tanta, & neutrum præstaret, si in aliquo casu posset revelari, v. g. cum pœ-

nitens est indispositus, aut indignus, vel cum adest magna Reipublicæ aut innocentis necessitas; vel in quocumque alio excogitabili casu. Nam hoc ipso fideles possent, & deberent metuere, ne Confessarius, sive tunc, cum confitentur, sive postea aliquando, illos aut aliquod illorum peccatum putet ex Zelo, vel ex alio affectu, vel ex passione, vel ex ignorantia, vel ex malitia comprehendi sub casu excepto, & revelet. Unde jam Sacramentum est summè ad salutem necessarium, esset hoc ipso odiosum, ab eo & ejususu fideles abhorrerent, ejusque fructu & utilitate careret Ecclesia. Quod majus & gravius damnum ac malum est, quàm si permitteretur interire integrum Regnum, vel totus orbis, & universa Ecclesia. Dicast. *l. c. n. 16.* ex communi. Ut ergo talis timor in usu Sacramenti Pœnitentiæ prorsus eximeretur fidelibus, oportuit pro omni casu excogitabili & totaliter revelationem prohiberi. Lug. *l. c. n. 13.* & ne quidem exiguum foramen, aut ostium relinqui apertum. Fagund. *l. c. n. 7.* solâ spontaneâ pœnitentiæ licentiâ excepta.

§. III.

Quenam cadant sub Sigillum?

191. Sigillum Confessionis sic obligat aliquem, ut generatim loquendo omnia & singula in secreto inviolabili servet, quæ ex Confessione Sacramentali cognovit; eamque facerent odiosam, si cum aliqua ipsius pœnitentiæ indicatione revelarentur. Reginald. *lib. 3. cap. 4. in princ.* & *n. 45.* Fagund. *Prac. 2. lib. 6. cap. 4.*

n. 3. Particulatim autem hoc explicando, cadunt sub Sigillum ejusque obligationem. 1. Omnia mortalia sicut in specie, ita etiam in genere sumpta, dicendo v. g. *Cajus est confessus aliquod mortale.* Fagund. *l. c. n. 1. & 4.* 2. Omnia venialia, non tamen in solo genere generalissimo, sed in aliqua specie, quacumque tandem, sumpta, dicendo v. g. *Cajus est confessus verbum otiosum.* Coninch. *Disp. 9. n. 10.* vel: *confessus est multa aut gravia venialia.* Lug. *Disp. 23. n. 50.* Tamb. *de confess. lib. 5. cap. 3. n. 2.* sed de hoc iterum *infra n. 224. & seq.* 3. Omnia, quæ aliquo modo sunt materia seu objectum peccati, uti est v. g. votum castitatis, contra quod conjux confitetur se petivisse debitum. Lug. *l. c. n. 52.* & virtutes, revelationes, aliæque dona supernaturalia, si quis confitetur; se fuisse DEO pro his ingratum, ut bene distinguit in his Lug. *l. c. n. 48.* 4. Omnes peccatorum circumstantiæ, omnes proprii defectus etiam naturales, & complicitis peccata; si pœnitens tale quid in confessione ideo dicat, quia putat id esse necessarium, vel utile ad sua peccata meliùs declaranda; etsi re ipsa nec necessarium sit, nec utile. Coninch. *l. c. n. 13.* Lugo *l. c. n. 68.* Modò tamen ejusmodi circumstantiarum revelatio etiam aliquam infamiam aut dehonestationem, Palao *de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 2. n. 6.* vel verecundiam aut sinistra opinionem, vel aliquid aliud nocuum per se vel per accidens pœnitenti possit afferre. Fagund. *l. c. & cap. 3. n. 1. in fine.* cum aliis. & *cap. 5. n. 18.* vel saltem circumstantia aliqua sit talis, ut eam pœnitens ipse non libenter extra confessionem alicui manifestare. Lug. *n. 57. §. Deni.*